ORATIO
DE
MOTIONE CORPOREA,
VALETUDINIS
CONSERVATRICE;
QUAM HABUIT
FRANCISCUS DE RIET,
IN TEMPLO GALLICANO,

DIE MERCURII 29 JULII, A. CIƆIƆCCXXXIX.

Cum, ſolenni Promotionis Scholaſticae actu, e Schola Delphenſi ad Academiam dimitteretur.



DELPHIS Apud REGNERUM BOITET.

VIRO

HONESTISSIMO, SPECTATISSIMOQUE

ALBERTO MENSING,

TRAJECTUS ROTERODAMENSIS QUAESTORI, VITRICO SUO, ET TUTORI PARENTIS NATURALIS LOCO, OMNIBUS PIETATIS OFFICIIS PROSEQUENDO, COLENDOQUE.

NEC NON

GULIELMO BUERMAN,

ECCLESIAE IN PAGO UYTDAM PASTORI FIDELISSIMO; AGNATO SUO, OMNIBUS OFFICIIS SINCERE COLENDO.

E T

CORNELIO VAN GYSEN,

MEDICINAE DOCTORI CULTORIQUE, EXPERIENTISSIMO FELICISSIMOQUE, COHORTIS URBANAE CENTURIONI; STUDIORUM SUORUM MODERATORI HUMANISSIMO PRUDENTISSIMOQUE.

ORATIONEM HANC

D. D. Q.

Devotiſſimus eorum Cliens

FRANCISCUS DE RIET.

SCHOLAE DELPHENSIS CURATORES ac PRAEFECTI, *Viri Nobiliſſimi Spectatiſſimique*;

PRAETOR URBIS, *Vir honoratiſſime*;

Nobiliſſimi Ampliſſimique Civitatis DELPHENSIS CONSULES, JUDICES, SENATORES, *& qui iis a* MANU ET CONSILIIS *eſtis*, *Viri prudentiſſimi*;

ORACULORUM COELESTIUM INTERPRETES *fideliſſimi*, *diſertiſſimique*;

ARTIUM *Quarumlibet* MAGISTRI DOCTORESQUE *eruditiſſimi*;

Juventutis Scholaſticae MODERATORES *literatiſſimi*;

Quicumque porro huc conveniſtis, CIVES, HOSPITES, ADVENAE, *Auditores optatiſſimi*.

Tu denique Commilitonum meorum Cohors Jucundiſſima.

ORATIO
DE
MOTIONE,
VALETUDINIS CONSERVATRICE.

CUm omnes, qui ad Academica ſpatia ex hoc curriculo viam ſtudiorum affectant, idem propoſitum habeant, ut ad doctrinae aliquem ingeniique cultum, unde commodioris vitae facultas & ſpes aliqua adfulgeat, progrediendum ſibi eſſe ſtatuant; tum non eumdem, ſed diverſum, pro multiplice ingeniorum aliarumque rerum, quae eos circumſtant, ratione; doctrinae ſapientiaeque modum appetunt ſinguli. Equidem nomen inter hos profiteor meum, qui humanitatis ſtudia, quibus hactenus me exercui, ad nobiliſſimae ſaluberrimaeque artis

Medicae comparandam ſcientiam, conferre in animum induxere. Quod quidem conſilium cum hactenus mihi ſteterit; non inſuave, ut mihi perſuadeo, nec injucundum veſtris auribus accidet, ſi praevia accommodataque Oratione teſtes vos advocem hujus mei propoſiti. Dicam ergo de materia, quae in Medendi arte priſcis temporibus, proram & puppim conſtituit, meruitque ut in gravisſimorum Archiatrorum monumentis utramque paginam faceret. Dicam A. H. de *Motu*; & quid humani corporis fabrica ab eodem adjuvetur; ſiquidem legitime adhibeatur; tum quid ea detrimenti capiat ex quiete & ſegnitie, demonſtrare conabor. Vos dicentem me ſolito erga haec tirocinia favore proſequimini.

Conſiderate primum & ante omnia, attenta mente, immenſum illud ſapientiae potentiaeque theatrum, in eoque corporum iſtam infinitorum compagem luſtrate; quorum ſingulis certa quaedam definitaque impertita eſt a * ſummo Numine menſura motionis; cujus vi ad agen-

* Cic. Diſputat. Tuſc. lib. V. c. 13. *Neque eſt ullum* (ſcil. eorum quae genita ſunt) *quod non ita vigeat & interiore quodam motu, cet.*

agendum primum impulſas rerum naturas, tum continuatum deinceps eumdem agendi ordinem fuisſe, rationi conſentaneum eſt. Etenim ſolem cum intuemur, ejusque certos deſcriptosque curſus animo metimur; quis eſt, qui non ſtatim agnoſcat, motum esſe, qui ab lumine tam conſpicuo tamque mirando, reliquis impresſus corporibus, cuncta in ſuo ordine conſervet ſuſtineatque? Unde, quaeſo, dierum ac noctium, aeſtatis hiemisque; unde aequinoctiorum rationes nobis conſtarent, niſi ſapientisſimi Numinis motrix dextra leges poſuisſet certas ſtabilesque, quibus ad uſus mortalium quam maxime accommodata foret univerſi natura? Itaque ut cuncta in ſuo ordine conſpirent; ut agant, ut deſtinatum finem asſequantur, unus praeſtat a ſummo Numine impresſus definitusque motus. Neſas eſt, humano imbecillique animo comprehendere, quae coeleſtis majeſtas imperatorio ſuo motui obnoxia esſe voluit, dum ea protraheret ex abysſo aeternitatis. Illud mecum agnoſcetis, cuncta, quae nunc ineffabili concinnitate ac pulchritudine oculis noſtris blandiuntur,

ad antiquum ac deforme chaos relapſura fore, ſi procul abesſet, qui ea primum diſcrevit ordinavitque motus. Quid venti, quorum natura vel maxime in motu conſiſtit, quantam telluri noſtrae utilitatem praebent; dum peſtiferos halitus, quibus illa premitur, flatu ſuo diſpellunt, & ſerenitatem inducendo, aërem ſpirabilem maxime ſalubremque efficiunt? Ita quidem univerſa rerum natura, ambitu incluſa coeli terraeque, probat motum esſe, qui cunctis rebus, ex lege ab ſummo Numine praeſcripta, ortum, progresſum, firmitatemque conciliat.

Ad Microcoſmum vos advoco, & humanae naturae fabricam, prorſus admirandam. Quam conducibilis humanae compagi foret motus, una nos docuerit Circulatio ſanguinis, qua cor ſanguinem per venas arteriasque, ad omnes partes corporis orbiculari ambitu propellit recipitque. O! divinam ſapientisſimi opificis ſtructuram, o! ineffabilem perpetuandae vitae rationem! Quid tanto tam divinoque artificio, quod in fabrica hominis cernitur, congruens magis; quam fontem vitae, qui

qui ex corde oritur, vel ad extrema deferri, per ima viſcera; quibus per continuum reciprocumque ſanguinis motum, tuta maneat atque illaeſa ab ſegni otio ac corruptela agendi virtus. Quantam vero, quamque admirandam vim huic motui ineſſe credemus; quot mille fores pulſando laxare; quot mille aditus, quot receſſus perreptare, dum panis v. g. & vinum in ſanguinem commutetur? Et ſunt, qui tantum opificium, tam arduum, tantis ſapientiae potentiaeque miraculis commendatum, caſui adſcribant, & dum ſcelerum ſuorum flagitiorumque teſtem ac vindicem ejurant, faſtoſae ſapientiae modum aut menſuram ponere erubeſcant? Sed redeo, unde abii. Cum Stoïcis mihi eſſe rem volo. Hi belli homines, in otio & quiete dum ſummam ponunt felicitatis, omnem motum, quippe tranquillitati contrarius qui ſit, ab hominis natura procul habendum eſſe ſtatuunt; ut tranquillo ſcilicet * mari ſimilis evadat, cujus fluctum ne minima quidem aura commoveri appareat. Non lubet mihi cum Sophiſtis iſtis, hoc quidem lo-

* Vid. Cic. *Tuſc. Quaeſt.* lib. V. pag. edit. Lamb. 150.

co, in diſputationem ingredi de vero hominis bono. Quamquam quem esſe putemus, qui non tolerabiliore ſanitatis fruendae conditione uti videatur, modicis animi fluctibus impulſus, quam inerti quiete torpeſcens? Etenim ſi libidinum, ſi aegritudinum, aliarumque perturbationum vehementia ſit commoto mari ſimilis, atque idcirco fugienda; quis neget, placatioribus animi commotiunculis, vel ſpei, dico; vel gaudii; vel, deſiderii, ita dulci quodam modo affici hominis animum, ut nihil optabilius ei ſit, quam, ne ſitum ducat natura hominis, ab tam levi affectuum ſtimulo excitari? * Ita quidem cuncta in hominis natura, quae adſpectu atque animo luſtramus motui patrocinari conſtat. † Quid illud dicam, quod ipſa inſtantis vitae primordia, quibus ſeſe ab intimo viſcerum angulo, manifeſtat latens foetus, una puncti ſalientis motione, tamquam certisſimo praeſagio, ſeſe pro-

* Vid. *Cicero* de Finibus Bonor. & Malor. lib. 5. c. 20. ubi corporis & animi motum ad convenienter naturae vivere refert.

† Vid. *L. Heiſteri* Compendium Anatomicum, & *Caſtelli* Lexicon Medicum.

prodant? Itaque ſcias, eumdem aperiendae vitae fontem habendum; quem perpetuandae conſervandaeque agnoſcant omnes.

In Graecia, ubi olim Medendi ars ſummum ſcientiae honoriſque gradum conſcenderat; nunc neglecta jacet, turpique ignorantia ſordet; inter prima ſanitatis reciperandae remedia cenſebatur praeſcripta languentibus accurata *exercitatio, quae pro ratione aetatis morbique aegrotantium, tum loci ac temporis variabat. Quantum ſimplici hac medela profligatum ſit malorum, loquuntur ſagaciſſimorum monumenta Medicorum; †clamant hiſtoriae; Nam cum in iſta gente exercitationes corporeae primis ſeculis ob ſolam delectationem fierent, factum eſt procedente tempore, ut ſanitatis conſervandae, nec non boni habitus acquirendi cauſa, qui militaribus viris inprimis conducit, certamina iſta ab univerſa Graecia celebrarentur. Imitati hunc morem ſunt Romani, qui, ne Graecis, quos vicerant, hoc magnificentiae gloriaeque genere minores haberentur.

* Vid. Merc. Art. Gymn. lib. 4. 7.
† Vid. eumdem lib. 1. Art. Gymn. c. 5.

tur, Circenſium, Venationum, aliorumque ludorum apparatum, Olympiorum, Pythiorum, Nemeorumque palmis oppoſuere. Quorſum vero horum * ambulationes in hortis ſpectabant, niſi ut inter praecipua ruſticae vitae oblectamenta haberent, ubi torporem corpori defendere posſent? Itaque priſci illi Quirites; quos fere rure & in agris vitam degisſe accepimus, nec in urbem venisſe, niſi cum habendus Senatus esſet, corpus animumque gerebant, publicis negotiis parem; quippe nec deſidia, nec luxu fracti debilitatique, ſed integri ac vegeti, ſubortis contentionibus voce laterumque firmitate ſufficiebant. Tantum illis dabat exercitatum motu corpus! Quid felicem iſtum habitum in Romanis poſtea tot tamque peſtiferorum, undique ingruentium malorum lue mutavit, niſi infeſta humanis corporibus quies ac deſidia? Nam ſimul ac literarum diſciplina Romae atque in Imperio agitari coepit, conticuerunt arma, & cum armis vetus illud exercitationum choragium ſublatum eſt tamdem. Sic data porta otio, hujusque comitibus, affectionum

* Vid. Plin. Epiſt. lib. 5. 6.

fectionum ſcilicet innumerabilium cohorti ſaevae. Jure igitur ſuo, † ille inter Medicos Tullianae facundiae aemulus ſtudia doctrinae, ut animo praecipue omnium necesſaria, ſic corpori inimica esſe dixit. Quis ergo neget, laudandam inprimis esſe rationem illorum, qui ſtudiorum contentiones, literatosque labores ac lucubrationes, ſalutari aliquo motu esſe interjungendos monent, ne corporeae compagi officiat mentis intentio nimia? Itaque prudentisſime * Novocomenſis ille ſapiens corporis ejusque movendi curam cum agitatione mentis conjungendam esſe decrevit. Quod enim genus morborum intelligi poteſt, quod non contrahat improbus ſtudendi labor? ‡ Quas non animo corporique inſidias ſtruit nimius inconſultusque lucubrandi conatus? Declarat iſtorum incesſus ſegnis; languida membra; pallens vultus; cibi ſumendi proſtratus appetitus, & quicquid membris inhaeret vitioſi habitus, clamat, inquam, quam corrupta ſit, defectu juſti motus, quae oculis abdita intus latet, viſcerum inteſtinorumque complexio. Quid

B

† Celſus *de Medicina* in Praef. * Vid. Plin. Epiſt. lib. IX. 36.
‡ Vid. Gyraldi Progymnaſma adverſus *Literas & Literatos*.

Quid navigantium incommoda & contractam ex deſidia labem, quam *Scorbutum*, cognito parum veteribus nomine appellant, ſanat, niſi motus, diffuſam corpore peſtem diſpellens, &, ne coaleſcat mali materia, prohibens? Qua quidem de cauſa Praefectis navium, vel induſtriam Claſſiariorum in armis explorare; vel ludis choreisque excitare cordi eſt, ne damnum faciat valetudo, tam artis navigii tabulis incluſa. Quid? quod non raro quam plurimi, ſurgentium ſubſidentiumque fluctuum agitatione ad nauſeam provocati, ſola atrae bilis jactura valetudinem redimant? Tam parvo iis conſtat tanti boni inſtauratio; cujus alias in otio ac deſides, ingenti catapotiorum, ſubinde ingeſtorum, praeſcripta copia, vix potuisſent fieri compotes.

Tangit & militares animos cura motus. Itaque ne miles otio ac deſidia corrumpatur, campeſtri decurſione, aut praeſidiorum ſubinde mutata ratione, ſapienter ſolet provideri. Eccui vero incognita eſt illa fortisſimi herois, * Eumenem dico, ſub Philippo ejusque filio Alexandro Macedoniae Regibus, ſolertia; qui aliquando

* Nep. Eum. c. 5.

quando anguſto caſtelli loco incluſus, circumſesſusque ab hoſte; cum vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod ſpatium non esſet agitandi; id quod natura negabat, ab arte mutuatus eſt; nam ſubſtringendo loris capita equorum altius, quam ut prioribus pedibus plane terram posſent attingere; deinde poſt verberibus cogendo exſultare, & calces remittere, motum iſtum in praeſentisſimum remedium adduxit, quo & jumenta a corruptione vindicavit, & nitida beneque habita ſecum abduxit. Apud Chinenſes tetano ac rigore affectis asſiduus fricantis dextrae motus medetur, & in aperto ejus rei cauſa eſt Medicorum filiis.

Lubet mihi hoc loco in memoriam vobis revocare ſimulacra illa pugnae equeſtris, quae Majorum veſtrorum aetate, Principes reipublicae edebant. In iis flos bellicae Juventutis, Clibanarii vel Cataphracti, praepilatis haſtis concurrebant; cum victores, gloriae ornamentis inſigniti, fiduciam ſui in poſterum facerent ad vera bellorum certamina. His autem haſtiludiis ne ſolam ſpectantium, qui ingenti un-

dique multitudine eo confluebant, quaeſitam fuiſſe voluptatem credatis. Quippe aliud erat, longeque majus ac praeſtabilius, quod tanto apparatu, tantisque armorum impenſis peteretur. Scilicet virtutem militarem torpeſcere otio ac deſidia, cognitum habebant exploratumque, ſtrenui iſti Reip. Duces. Eam ob cauſam pacis temporibus exercendum imaginariis pugnis exacuendumque eſſe decernebant Juvenile robur; ut ad ſubita bellorum paratam haberent beneque inſtructam copiam equeſtrem; &, quod non minimi faciendum eſſe videtur, ſemper praeſto forent, qui de numeris tam exercitis, tamque probatis ad altiorem dignitatis gradum provehi mererentur, & parere adſueti, parendi legem aliis monſtrare poſſent. Tanti erat, media in pace, ut canit ille, * Martis opus ludere; ne poſthabito motu torpeſceret aut manus, aut mens. Nec abludit ab hoc Majorum inſtituto, ſerorum nepotum ſtudium. Vos teſtor Hagana Tempe; vos, luci ac ſilvae; quae quotannis Procerum Patriae juſſu, virtutem militarem, ludicris

* Jan. Douſa Ann. Lib. 2. Initio.

cris decurſionibus ad veros decretoriosque bellorum caſus, exerceri videtis.

Quam prudenter igitur & in rem conſuluisſe dicemus Perſarum dominatorem illum * Cyrum; qui rebellantes Lydos devictosque; probe gnarus quantum in tractatione inſtrumentorum bellicorum audaciae iis reliquum faceret, a belli ſtudiis, ademtis armis atque equis, ad ſordidas artes & lenocinia traduxit, oſtenditque otio ſenſim deſidiaque frangendos fore, quos militaribus exercitiis motuque bellico ſciret exaſperandos. Non de nihilo igitur videri ducendum eſt; ſicut militares animi, motu qualem dixi, exacuendi potisſimum ſunt; ita Paganorum ingenia & mores, hac armorum tractandorum asſuetudine roborari. Quid cauſae esſe putetis, cur fere cunctis in opidis patriae noſtrae, diſtributi per Collegia & Tribus cives, certo anni tempore jaculandi peritiam imitando experiantur, & vel ſcopum ferire; vel defixum in pertica alitem ligneum dejicere; in more poſitum ſervent; dum victorem ludicri certaminis, imaginarii Regis titulo, gaudio

* Vid. Juſtin. L. 1. c. 7.

ſtudioque elati, fauſtis acclamationibus proſequuntur? Quid cauſae, inquam, niſi ut corpora, quae ſellulariis artibus, diutina mora tamquam incili obhaeſere, otium marcoremque hac agitatione armorumque tractatione exuerent, tum vero ut contra inſidias & clandeſtina conſilia, pacis opes tueri parati forent atque expediti incolae.

Ac ne de ceteris, qui innumeri ſunt, exempla petam tuendae confirmandaeque per motum valetudinis, unus vobis ſit ante oculos * Carolus, nonus iſtius nominis, Galliarum Rex; quem, ubi a vehementiore venationum agitatione, cui ſtudio ad inſaniam indulgebat, ceſſare neceſſe haberet; ne id interea morae contra commodum fieret, non piguit fabricandis armis, & ferro, malleo ac forcipe, verſando, commodare Auguſtas manus. Cum ergo tantum ſit in motu corporeo ad conſervandam valetudinem morboſque depellendos prae-

* Vid. Thuan. Hiſt. L. 57. ad A. 1574. Adde geminum huic Conſtantini M. exemplum, quod in ejus Vita Lib. 4. cap. 53. refert Euſebius. Item *Theophylacti* Inſtit. Regia cap. 24. ὑγιὴς τῷ βασιλεῖ τοῦ σώματος ἡ ἄσκησις. Bandur. vol. 1. pag. 211.

praeſidii; utilitas tanta; quid mirum, ſi praeſtantisſimi Medicorum filii ad certas eum artis regulas praeceptaque laborarunt redigere? Sic non minimum locum in medendi diſciplina invenit praeſcriptus definitusque motus, poſtquam is in legem abiit, & pro varietate corporum, tum loci ac temporis certus ei modus ac temperamentum coepit adhiberi?

Oſtendi, A. H. quaſi per ſaturam, quae quantaque commoda, qua publice, qua privatim adferat motus; quae tanto optabiliora videri debent, quanto peſtilentiora ſunt, quae ſegnities ſecum mala trahit, praeſertim ſi conjuncta ea ſit cum voluptate atque omnium rerum regali abundantia. Quae febrium novarum cohors non incubuit terris; poſtquam qui corpora opere atque honeſto labore antea durabant, in torporem ſegnitiemque reſolvi coepere! * Hos mihi videte, qui in regno deliciarum volutati, dum actuoſae vitae commoda vel negligere, vel deſpectui habere malunt, inertiae ac ſocordiae poenas dant. Hos reſpicite, faſtidientes, quae aliorum fames deſiderat; adeo plenos

* Vid. Senec. Epiſt. 95.

plenos eos efficit torpor, & ſtagnans venter! Quid? incerti labantium pedes, ac nervorum tremor, nonne certisſima iis exprobratio ſunt maleſanae deſidiae, quam nullus diſcutiat motus? Quid palpitationem cordis dicam? Quid oculorum auriumque tormenta? Quid cerebri aeſtuantis verminationes? Quid capitis vertigines? Quae quidem ſingula & plura id genus cum ſegnitiem torporemque fere ſequantur, documento esſe debent, id quod demonſtrandum mihi esſe propoſueram, motum cum omnibus in rebus, tum in valetudine regenda esſe optimum.

DIXI.